

ad II.: Emum Episcopum posse permittere, ut in lib. 19. dec. fol. 2.

Quocirca permittente Episcopo, ut fertur, idem Bernardinus semper inde abfuit a Terra Appignani, curam animarum exercens in Terra Montis Luponum. Et licet Sacerdos Lucoli, qui capellaniam possedit usque ad annum 1720, in domo testatoris permanserit, carens alia habitatione, ut narrat per epistolam Franciscus Xaverius Angelelli parochus et vicarius Foraneus Appignani, attamen Bernardinus Palmieri, qui illi successit, continuo resedit in Terra Monticuli, tamquam Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae ejusdem Oppidi. Et absens semper fuit etiam Franciscus Maria Frisciotti de civitate Nova Firmanae dioecesis ejusdem Palmieri successor: minimeque ad residendum in Terra Appignani unquam se contulit Antonius Maria Frisciotti hodiernus capellanus post dictum Franciscum Mariam ejus fratrem electus, ut praeter Vicarium Foraneum antedictum deponit Sacerdos Caprara, qui eorumdem capellanorum vices explevit.

Cum vero hodiernus capellanus audisset, quod Episcopus Auximanus meditaretur eum cogere ad residentiam, preces obtulit huic S. C., quibus postulabat declarari, capellaniam nequaquam esse residentialem, itaut capellanus de jure non teneatur ad residentiam et personale servitium sed abesse valeat et deservire per substitutum, nedum permittente Episcopo, juxta praemissum rescriptum anni 1649, verum etiam Episcopo renuente. Dudum itaque praefixo termino Promotori Fiscali ut, si quid censeret opponendum, deduceret in S. C., causa nunc proponitur.

Deputat autem Frisciotti capellanus, residentiam in sua capellania nec praecisam requiri nec causativam. Non praecisam: quia solum ad illam

teneri, inquit, obtentores beneficiorum de jure residentialium, uti sunt Episcopi et parochi caeterique Praelati curam animarum habentes, de quibus loquitur *Concilium Tridentinum* in sess. 6. cap. 1., sess. 7. cap. 3., et sess. 23. cap. 1. de Reform. et san. mem. *Pius IV.* in Constitutione: *De salute Gregis* 10. §. 1. et 2. et in Constitutione: *In suprema* 91. §. 1., et s. *Pius V.* in Constitutione: *Cupientes* 65. §. 1. Bullarii *Cherubini* tom. 2., vel etiam Capitulares Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum juxta sanctionem ejusdem *Concilii Tridentini* in sess. 24. cap. 12. de Reform. et praefatae Constitutionis: *Cupientes* s. Pii V. At nequaquam hujus generis esse, putat, capellanas vel simplicia beneficia, quorum possessores de generali totius Orbis consuetudine minime tenentur ad residentiam, ut tradunt *Imol.* in cap. fin. n. 9. de Cleric. non resident., et *Azor* instit. moral. par. 2. lib. 3. cap. 8. quaest. 5. ad fin.; et licet praefata Constitutio s. Pii loqui videatur de quibuscumque beneficiatis, attamen intelligendam esse, defendit, de solis Curatis vel Capitularibus, non autem de simplicibus, juxta firmata per *Garz.* de benefic. par. 3. cap. 2. num. 9.

Minusque residentiam causativam requiri autumat, quum nulla praescripta sint onera personaliter adimplenda per capellanum, qui propterea residere non tenetur, sed potest onera adimplere per substitutum, juxta receptam opinionem *Lap.* allegat. 35. n. 4. et late tradunt *Fagnan.* in cap.: *Ut Abbates* n. 84. de aetat. et qualit. ordin., et *Barbos.* de Offic. et potest. Episc. alleg. 24. n. 43. et 44., et alleg. 53. n. 179.

Nec obstare censet, quod in limine foundationis praescribi valeat residentia etiam pro simplici capellania, ut pro-

bat *Gonzal.* ad regul. 8. Cancell. gloss. 5. n. 100., quia Bianchi Testator, praecipiendo residentiam, nec causam personalis servitii nec servitii addidit, nec poenam adjecit contraventori; ideoque tamquam nudum praeceptum posse impune sperni ejus voluntatem, ad *Text. in leg. Filius familias* 117. §. *Divi il.* 2. ff. de leg. 1., cui adhaeret resolutio hujus S. C. in Casalen. relata per *Garz.* de benefic. par. 7. cap. 1. n. 87. et *Rota* in Gerunden. eleemosynae panis super residentia 3. Julii 1711 coram Card. Priolo. Et id ipsum in hac causa innuisse arbitratur eandem S. C. anno 1649 rescribendo, quod Episcopus permittere posset implementum onerum per substitutum in absentia capellani, eum alioquin non esset in facultate Episcopi quidquam detrahere vel remittere ex oneribus valide injunctis in fundatione beneficiorum, ut praescribit Sacrum *Concilium Tridentinum* in sess. 25. cap. 5. de Reform. Atque demum omnem difficultatem submoveri, contendit, ex observantia tum proxima fundationi, tum novissima a quadraginta postremis annis.

Dispositio non absimilis concurrebat in una Aquilana capellaniae proposita in hac S. C. die 2. Maii 1733, in qua testator, nullo injuncto onere personaliter adimplendo per capellanum, solum praeceperat eidem, sia obligato risedere in detta mia Casa lasciata per detto effetto; cumque fuissent disputata duo dubia:

I. *An beneficium seu capellania, de qua agitur, habeat onus residentiae et quomodo?*

II. *An praedictum beneficium sit incompatible cum parochiali in casu?* die 16. Maii ejusdem anni 1733 prodiit rescriptum

ad I.: Capellanum teneri residere ad formam testamenti;

ad II.: Provisum in primo.

Reproposita causa die 18. Julii ejusdem anni rescriptum fuit: In decisis et amplius, ut in lib. 83. decret. p. 198, 222 et 318.

Dignentur igitur EE. PP. perpendere, num pro exclusione oneris residendi urgeat in hypothesi observantia, quae non aderat in dicta Aquilana, ut ad tramites juris, etiam pro casu, quo Episcopus renuat uti facultate permittendi rectoris absentiam, definire valeant:

An rector beneficii s. Luciae Terrae Appignani personaliter residere ibidem teneatur seu potius per alium tale onus impleri possit?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem ad formam testamenti. In reliquis in decisis de anno 1649.

Die 17. Jan. 1761.

c) Non est Obligatio.

Obtinens beneficium, licet id sit titulus alicujus Sancti, dummodo sit *simplex*, non tenetur in eo residere nec eum ad residentiam potest cogere Episcopus.

Decisio S. C. C. Interpr. ad Conc. Tr. sess. 6. cap. 2. (Ed. Gallemart. 1616 p. 28.)

4) Canonici.

Vd.: *Resid. Episcopi* (oblig. etc. Constit. Bened. XIV.).

a) Qui simul Episcopatum obtinet.

Leodien.

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1., 12. sess. 24. De Ref.)

Cum de anno 1697 vacaverit Sedes episcopalis Namurcensis, extitit de ea provisus a s. m. Innocentio XII. Ferdinandus Maximilianus de Berla Canonicus Praebendatus necnon Archidiaconus Campinae nuncupat. Cathedra

dralis Ecclesiae Leodien. Ut autem novus provisus suum episcopale decus decentius tenere possit, idem Pontifex motu proprio eidem Indultum concessit retinendi ad decennium una cum Ecclesia Namurcensi Canoniatum et Archidiaconatum praedictos Ecclesiae Leodien. cum clausula: *non obstantibus etc.*, et cum altera clausula: *praevisto, quod Canoniatu et Praebenda et Archidiaconatus hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed eorum congrue supportentur onera consueta*, prorogatum ad aliud decennium a SS. D. N. de anno 1707. Verum de mense Febr. 1710 Capitulum et Canonici Leodienes hortati sunt Episcopum ad residendum saltem per trimestrem in eorum Ecclesia, si lucrari vellet fructus tam Canoniatu quam Archidiaconatus. Viceversa Episcopus residens in sua Ecclesia Namurcen. autumat, sibi liberum non esse adire Leodium inter vigentes bellorum strepitus; qua de re recursum habuit ad SS. D. N. precibus ad hanc S. C. remissis, quatenus hoc belli tempore dignetur eidem indulgere integros fructus Canoniatu et Archidiaconatus absque obligatione residentiae; hujusmodi simile Apostolicum Indultum eadem de causa difficultatis ad residendum obtinuerunt tres alii Canonici dictae Ecclesiae Leodien. impresentiarum Namurei degentes; exhibuit se caeteroquin Orator necessarias visitationes obire in districtu sui Archidiaconatus.

Requisitus fuit desuper informare Nuntius Apost. Colonien., qui ad explorandam veritatem precum Oratoris audivit tam Capitulum Leodiense quam eundem Episcopum, quorum hinc inde objectiones nempe Capituli et responsiones Episcopi ad S. C. transmisit, prout in Summar. dabuntur. Retulit porro informans, se monuisse tam

Capitulum, ut interim abstineat a quacumque innovatione, quam Episcopum, ut quamprimum visitet Archidiaconatum suum idque saltem quotannis peragat, quod ei liberum est, omnemque operam adhibeat, ut eodem belli tempore sibi permittatur adire Leodium ibique residentiam trimestrem agere, cum caeteroquin residentia sex mensium requisita per statuta Capituli Leodien. ad consequutionem omnium fructuum ab eo exigi non valeat, cum gravior sit obligatio residendi in Episcopatu, quin et vigore statutorum praesentes censentur Canonici Archidiaconi districtum suum visitantes pro tempore visitationis, alioquin inutile redderetur Apostolicum Indultum retinendi Praebendam et Archidiaconatum praefato Episcopo concessum ad sublevandam tenuitatem reddituum mensae Episcopalis Namurcensis. In altera vero relatione idem Nuntius transmisit documenta ostendentia Episcopum satisfecisse ejus adhortationibus indicendo visitationem propediem abeundam aliaque explevisse pro gubernio dicti Archidiaconatus ac diligentias continuasse, ut sibi Leodium adire fas sit, uti latius ex praefatis relationibus una cum praemissis aliis documentis in summar. exhibendis. Ex quibus Orator ipse deprecatur hodie EE. VV. decernere:

An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Pro gratia juxta modum ad biennium durante impedimento accedendi ad Ecclesiam, omissa tertia parte, quae accrescat interessentibus, et Episcopus curet interim remove dictum impedimentum necnon visitet Archidiaconatum.

Die 5. Sept. 1711.

Leodien.

(Infausta tempora.)

(Conc. Tr. cap. 1. sess. 6.; cap. 1., 12. sess. 24. De Refor.)

Effusis precibus ad S. C. remissis Episcopus Namurcensis SS. D. N. benignitatem imploravit, quatenus vigentibus infaustis bellorum temporibus eidem indulgere dignaretur absque residendi onere integros fructus Canoniatu et Archidiaconatus, quos ex Apostolico Indulto obtinet in Ecclesia Leodiensi; idcirco in Congregatione die 5. Sept. 1711 proposito dubio: *An et quomodo Namurcensis Oratoris precibus sit annuendum?* responsum prodiit: *Pro gratia ad biennium, durante impedimento accedendi ad Ecclesiam, juxta modum, videlicet omissa tertia parte fructuum, ita tamen ut curae esset Episcopi remove impedimentum, quo praepediebatur adire Leodium, ac visitationem Archidiaconatus expleret. Sub his insistente praelibato Episcopo pro declaratione, quod biennium hujusmodi computandum esset, ex quo bellorum strepitus invalescere coeperunt, sub die 5. Martii 1712 placuit EE. PP. respondere: *biennium currere a die recursus ad S. C., nempe a die 20. Sept. 1710.* Quapropter in Congregatione die 27. Augusti praelapsi anni jamjam labente hujusmodi biennali indulto iisdem perseverantibus obstaculi causis Orator ipse prorogationem ad annum obtinuit cum solitis clausulis. Nuper vero insurrexit Capitulum Ecclesiae Cathedralis Leodiensis, quod autumat, ejusmodi gratiam et consecutivam prorogationem, ut praefertur, ab Episcopo Namurcensi impetratam omnino corruere, tum quia nullibi constare asserit mox dictum Praesulem curam subinde adhibuisse pro obstaculi remotione, verum etiam*

cum praememoratum indultum retinendi simul Canoniatu et Archidiaconatu viribus careat, quo subreptitie et obreptitie tum expositum fuisse contendit, earum praebendarum fructus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem non excedere, cum caeteroqui iidem proventus adamussim summam pertingant similium ducatorum plusquam mille, quemadmodum ex documentis, quae in summario dabuntur, liquere autumat. Caeterum saepedictus Episcopus Namurcensis pluribus haec retundere conatur, prae caeteris contendens, nullum praetermissis studium, quo liberum sibi esset adire Leodium. Hinc ex his aliisque, quae uberius utrinque adducuntur, non dedignantur EE. VV. sapienter resolvere consuetum dubium:

An sit standum vel recedendum a decisio sub diebus 5. Sept. et 27. Aug. 1712 in casu etc.?

S. C. resp.: In decisio et amplius. Die 13. Maii 1713.

Canonicus Capuanus fuit per annum excusatus a residentia ex Cong. declaratione, dummodo eo tempore in loco viciniore habitaret et quod inimicitiae essent sine ejus culpa ortae. — Alius Canonicus Aretinus, qui fidejusserat de recedendo ab urbe, fuit a residentiae fidejussione durante similiter excusatus et inhibitu Ordinario, ne contra eum procederet.

Declarat. S. C. C. Interpr. ad verba C. Tr. sess. 6. cap. 2.: Rationabilibus causis etc. (Ed. Gallemart. 1616 p. 29.)

b) Canonici et Dignit.

I. Obligatio.

Vd.: *Resident. paroch.* (decr. diei 29. Febr. 1712); *Punctur.*

Ad dubium: An et quo tempore omnes Canonici teneantur residere in Plebe Insulae?

S. C. C. resp.: Affirmative.
Die 3. Dec. 1712.

Quum in Canonicatus ejusdam institutione nulla residentiae facta fuisset mentio, controversia exinde orta.

S. C. resp.: Illius Canonicatus possessorem obnoxium esse residentiae legi ad tramites juris servata tamen consuetudine quoad servitium chori pro diebus solemnioribus, taxata ab Ordinario summa pro singulis fallentibus favore fabricae Ecclesiae applicandis.

Die 2. Junii 1838 *Pisana*.

Umbriaticen.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Umbriaticae sex constat Dignitatibus et septem Canonicis, nec tamen omnes Cathedrali serviunt. Inter Canonicos sunt quatuor, inter Dignitates primicerius est, qui nati in Oppido del Ciro in eo moram trahunt, nec ullum Cathedrali servitium praestant, vestigia prementes Episcopi, qui in eodem Oppido residet et die solum festo s. Donati titularis Ecclesiae Cathedralis se confert Umbriaticum. Residentes itaque Canonici et Dignitates, adito Episcopo, postularunt, ut absentes ad residendum compelleret, sed absentes Sacratissimo Principi nostro preces obtulerunt, quibus postulabant Indultum, ut possent abesse, quia nullam habeant praebendam et emolumenta. Data hujusce rei cognitione amplissimis patribus auditus fuit Episcopus, qui refert plurima Sacri hujus tribunalis rescripta et synodi dioecesanae coactae anno 1729 sedente Episcopo Loyerio Constitutionem, quibus decretum est, ut nullis obstantibus excusationibus defectus emolumentorum, praebendae, insalubritatis aeris et similibus compellerentur absentes ad residendum Umbriatici; at parte ex alia nullas esse dicit praebendas, nullas distri-

butiones quotidianas, tenuem esse massam, ut hoc casu locus esse nequeat dispositioni Sacrorum Canonum de residentia, praesertim quia, cum hi absentes resideant in loco Episcopi, ubi est tribunal, ubi functiones Pontificales aguntur et divinis assistant, pro absentibus absolute haberi non possint; decreta synodi ex tolerantia Episcoporum executionem non habuisse; paucos esse Umbriatici naturales Sacerdotes eosque ad Canonicatus obtinendos minus aptos. Censet itaque futuris quidem vacationibus consuli posse praestito sive alienigenis sive dioecesanis Sacramento de residendo; absentes vero non esse ad residentiam compellendos, quia reperiri non posset, qui Sedes Canonicorum impleret. Contra haec, quae ab Episcopo scripta sunt, disputant residentes, qui, omnibus rejectis, postulant compelli Primicerium et quatuor Canonicos poena privationis: onus erit amplissimorum patrum ea, qua praestant, prudentia, decernere:

An et quibus poenis Primicerius et Canonici Ecclesiae Cathedralis Umbriaticen absentes cogendi sint ad residentiam in ipsa civitate Umbriatici in casu?

S. C. resp.: Affirmative et Episcopus cogat ad residendum praefixo termino duorum mensium sub poena privationis et certior de executione.

Die 14. Sept. 1748.

Isernien.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Absente Martino de Marco Canonico hujus Cathedralis a residentia sui Canonicatus promotor fiscalis illius curiae Episcopalis sub die 8. Jan. 1703 institit coram Episcopo, ut procederetur contra d. Canonicum non residentem ad formam Sacrorum Canonum et

S. C. Tr. cap. 12. sess. 24. de Ref. Unde pluribus desuper examinatis testibus deponentibus de absentia dicti Canonici usque de mense Septembris 1702 eosque nescire fatentibus, ubinam is tunc reperiretur, ac pariter asseverantibus, praebendas illorum Canonicatum tenuissimi redditus esse, quin et illam Canonici de Marco vix attingere carolenos quatuor, reliquis omnibus redditibus consistentibus in quotidianis distributionibus non nisi praesentibus acquiri solitis, Episcopus ad reiteratam instantiam ejusdem promotoris fiscalis decrevit citationem hujusmodi R. D. Martinum de Marco Canonicum Cathedralis d. civitatis per trinas citationes ad valvas praedictae Cathedralis monendum fore ad residendum, assignato eidem termino dierum quindecim in qualibet citatione et ita etc. Ad tenorem hujus decreti expeditae fuerunt contra eundem literae citatoriales seu monitoriales per diversas dilationes quindecim dierum pro qualibet cum termino peremptorio. Ad personaliter redeundum ad residentiam sui Canonicatus alias termino praedicto elapso compareat ad videndum se Canonicatu praedicto ejusque praebenda ad formam S. C. Trid. privari attentam fructuum praebendae tenuitate et ex quo obventiones omnes Canonicatus praedicti in distributionibus quotidianis consistentes interessentibus accrescunt etc. iisque monitorialibus per cursorem executis per affixionem ad valvas Ecclesiae Cathedralis sub diebus nempe 18. Apr., 7. et 28. Maii praelibati anni 1704 incusatisque in singulis earum terminis, contumaciis adversus saepedictum Canonicum non comparentem, antedictus Episcopus praevia monitione ad sententiam pro die crastina, executam etiam ad valvas Cathedralis definitivam sententiavit sub die 17. subsequentis mensis Decemb. 1704: Canonicum de

Marco fore privandum, prout privavit canonicatu et praebenda, quam in ea Cathedrali obtinebat, uti fusius continetur in actis processus desuper fabricati, cujus exemplar authenticum fuit exhibitum et in summar. dabitur. Cumque exinde dictus Canonicatus sic vacans fuerit primo provisus in personam Petri de Augustino, qui dicitur illum resignasse, ac postmodum in personam Josephi Graeci, recurrit propterea tanquam gravatus dictus de Marco ad hanc S. C., tum quia in d. processu non fuit servata forma Sacri Concilii loco praeallegato, tum pariter ex defectu citationis personalis, quocirca citato promotore fiscali illius curiae Episcopalis, necnon, utroque proviso, fuerunt concordata infra scripta dubia, quae hodie instante de Marco et partibus ex adverso pluries monitis proponuntur EE. VV. ex deducendis sapienter deducenda:

1. *An privatio Canonicatus possessi a R. Martino de Marco facta ab Episcopo sustineatur? Et quatenus negative;*

2. *An R. Martinus sit ad illum reintegrandus, etiam quoad fructus praeteritas in casu etc.?*

S. C. C. resp. ad 1.: Negative;
ad 2.: Affirmative et quoad distributiones a die motae litis.

Die 22. Febr. 1710.

Castri Maris.

Quod attinet ad dubium, in quo disceptatur: num enunciatum edictum Episcopi, quo Canonicis et Dignitatibus Cathedralis Ecclesiae interdicitur, ne absque Episcopi licentia in scriptis a residentia discedant, sustineatur, duo in jure notanda occurrunt: alterum quod tam Canonici et Dignitates Cathedralium seu Collegiatarum Ecclesiarum quam caeteri omnes beneficiati residentiae onere obstricti neque-

unt, nisi impetrata Episcopi licentia, e loco, ubi canonicatum, dignitatem vel beneficium obtinent, abesse, juxta expressos textus in tot. tit. „de cleric. non. resid.“, et tradunt *Fagnan.* in cap.: „relatum“ n. 10. et seqq. eod. tit., *Ventrigl.* in praxi part. 1. annot. 19. §. 2. n. 19., *Barbos.* de can. cap. 24. n. 55.; alterum vero quod Episcopus huic juris sanctioni inhaerens non solum potest statuere, ne Canonici, Dignitates caeterique beneficia, quibus residendi onus inhaeret, obtinentes residentiam deserant, nisi facultate in scriptis ab ipso habita juxta resolutiones a S. C. editas in *Faracinen.* 19. Febr. 1628 lib. 13. decret. p. 405, et alias relatas in *Larinen.* decretorum synodali 30. Aug. 1732 ad III., IV. et V. dub. lib. 82. decr. p. 414, verum etiam edicere, ne simplices Clerici Cathedralis vel alterius Ecclesiae servitio adscripti, eo inconsulto, extra dioecesim vagentur, secundum ea, quae notant communiter autores supra allegati et pluries rescripsit S. C. et signanter in *Anconitana* 14. Febr. 1609 lib. 11. decr. p. 43, in *Ferdonen.* anno 1621 lib. 12. decr. pag. 83, in cit. *Terracinen.* 19. Febr. 1628, in *Constantinopolitana* 1. Apr. 1628 lib. 23. decr. p. 424 ad II. et in *Meliviana* synodi 14. Junii 1707 lib. 57. decr. p. 205.

EE. VV. itaque dignabuntur decernere: An edictum Episcopi promulgatum prohibitionum discussus absque sua licentia in scriptis quoad Dignitates et Canonicos sustineatur?

S. C. C. resp.: Affirmative pro discussu pernoctandi extra dioecesim moderata tamen poena in ducatis duobus.

Die 13. Apr. et 4. Maii 1737.

Oveten.

Joannes Florez Scerra Canonicus Cathedralis Ecclesiae Ovetensis ob

suaum ingravescens aetatem obtinuit, sibi ab Apostolica sede in perpetuum coadjutorem deputari Sacerdotem Franciscum Scerra; iste vero consentane ad Apostolicas literas desuper expeditas sese obstrinxit quaecunque reficere damna, quae possent Joanni Josepho obvenire, si debitam ipse residentiam Ecclesiaeque servitium praestare negligeret.

Cum autem nuper contigerit, memoratum Franciscum Coadjutorem veluti cujusdam criminis in Ovetensi civitate admissi reum condemnatum fuisse ab Episcopo inserviendum spatio sex annorum uni ex hospitalibus civitatis Septensis, Joannes Josephus Canonicus Coadjutus animadvertens damnum sibi ex sexennali hac Coadjutoris absentia proventurum ascendere posse ad summam ducat. 3000 monetae illius regionis, ejusque refectioni haud satis esse omnia ejusdem Canonici Coadjutoris bona patrimonialia ad avertendum quodcumque suum detrimentum, paratus est toto praedicti sexennii intervallo chori Ecclesiaeque servitio per seipsum vacare. At quia Capitulum existimat, Joannem Josephum Canonicum Coadjutum, absente ex praemissa causa Francisco Coadjutore, non posse oneri residentiae supplere, minusque frui diebus vacationis seu recreationis, quos vocant „las dias de gracias“, itidemque lucrari nequire quotidianas distributiones tempore, quo ipsum aliquando aegrotare contingat. Idcirco tam Canonicus praedictus quam Capitulum inter se convenere, ut ad tutam commodamque utrique parti obtinendam controversiae diremptionem sapientissimum Eminentiarum VV. oraculum super tribus dubiis mox describendis exposceretur.

Difficultatis Capitulo contra Canonicum Coadjutum excitatae occasionem praebet vetus illius Cathedralis con-

suetudo, juxta quam asseritur Canonicos coadjutos nedum minime teneri choro interesse Ecclesiaeque inservire, sed neque ad id cogi unquam posse a capitulo, tametsi in quibuscumque etiam solemnioribus festivitatibus ipsorum Coadjutores abessent, adeoque apud omnes obtinuisse, ut si coadjuti aliquando choro intersint, non ad explendum onus Canonicis injunctum sed ex peculiari sua devotione et libera tantum voluntate id agere censeantur. Praeterea dicitur quoque ibidem in more positum, ut dies vacationis seu recreationis superius enunciati Coadjutoribus dumtaxat concedantur in levamen assidui ac diuturni servitii, quod in actu suae admissionis ad Coadjutoriam sese obstringunt praestare.

His in facto notatis duo ad causae decisionem praestat in jure communiter recepta subjicere, alterum nempe, quod Canonicus coadjutus etiamsi ad differentiam Canonici jubilati non excusetur ab onere residendi in loco, ubi Canonicatum oblinet, secundum ea, quae tradunt *Gonzal.* ad reg. 8. cancel. gloss. 5. §. 9. n. 30., *Castropal.* tract. 13. dis. 1. de benef. punct. 9. n. 12., *Barbosa* lib. 1. jur. eccles. univers. cap. 15. n. 53., et lib. 3. cap. 10. n. 29., *Reiffenstuel* in jus can. lib. 3. tit. 6. §. 2. n. 35., et resolvit S. C. in *Carthaginen.* 1. Dec. 1618 lib. 11. Decr. pag. 223., immunitas tamen omnino est a servitio chori et Ecclesiae, cui Coadjutor obstringitur incumbere, quemadmodum per text. in can.: „scripsit mihi“ 7. quaest. 1., et in cap.: „ex part.“ 5. de Clerico aegrot. docent *Piring.* in jus canonic. lib. 3. tit. 6. n. 16., et ibi *Reiffenstuel* §. 2. n. 48. At si velit per se ipsum choro interesse omnibusque ecclesiasticis functionibus canonicatui suo adnexis defungi, impediri non potest juxta ea, quae tradunt *Fagnan.* in cap.: „nulla“ de

concess. praebendae, *Reiffenstuel* in jus canon. lib. 3. tit. 7. §. 2. n. 15., et constat ex rescripto S. C. in *Florentina* „praecminentiarum“, ubi discusso dubio: *An Canonicus coadjutus possit per se ipsum explere functiones nuncupatas de hebdomada et de turno in casu?* die 9. Aprilis 1718 responsum fuit: *Affirmative et amplius*, ut in lib. 68. Decr. pag. 139; alterum vero, quod idem Canonicus coadjutus, si Coadjutore absente vel impedito choro intersit ecclesiaeque servitio vacet, gaudere debet omnibus vacationis et recreationis diebus, quibus Canonicus Coadjutor, si choro interfuisset, frueretur, *Navar.* de Cleric. aegrot. cons. 2. n. 6., et *Garz.* de benef. part. 4. cap. 5. n. 64.

Haec sunt, quae ad decisionem I. et II. ex dubiis infra describendis conferre videntur. Quod autem attinet ad articulum, qui in III. dubio decidendus proponitur, cum scilicet Canonicus coadjutus tempore, quo infirmitatis causa nequit choro interesse, quotidianas distributiones lucretur, si contingat, Coadjutorem absque legitima causa seu ex propria culpa a residentia abesse, operae pretium visum est, praeter ea, quae tradunt inter alios *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cap. 29. n. 44. et seq., *Monacell.* in formular. legal. for. eccl. part. 2. tit. 13. for. 2. n. 76., hic scribere resolutionem S. C. R. in *Pavina*, in qua ita rescriptum fuit: „Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat, punctatur tamen in ipsius Coadjutoris damnum“, uti testatur *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cit. cap. 29. n. 45. in fine, cui consonant plura hujus quoque supremi tribunalis rescripta, et signanter in causa, cui titulus: „dubia punctaturarum“ 31. Julii 1694

lib. 44. decr. pag. 359., et in *Asculana*, ubi ad dubium VIII. ita conceptum: „An debeantur (nempe distributiones quotidianae) Canonicis infirmis, si Coadjutores sani non interveniunt?“ sub diem 5. Jun. 1706 responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 170.

Episcopus confirmans facti seriem superius descriptam memoransque enunciatam suae Cathedralis Ecclesiae consuetudinem in haec verba concludit: „Quapropter videtur mihi in casu praesenti (quidquid sit de aliis) Dom. Joannem Josephum Flores de Sierra coadjutum tempore poenalis servitii Dom. Francisci de Sierra Coadjutoris posse ac debere residere residendoque gaudere diebus vacationis, perinde ac si Coadjutorem non haberet potiorique jure habendum esse pro praesenti, sicut et caeteri, qui Coadjutores non habent, si dicto tempore durante aegrotet.

Partes itaque erunt EE. VV. deliberare:

I. *An durante tempore poenalis servitii et consequenter absentiae Canonici Francisci Sierra Coadjutoris residere valeat Joannes Joseph Flores Canonicus coadjutus? Et quatenus affirmative;*

II. *An residendo gaudere debeat diebus vacationis seu recreationis nuncupatis „las dias di gracias“?*

III. *An dicto tempore durante aegrotans dictus Joannes Canonicus coadjutus habendus sit pro praesente tempore infirmitatis et possit lucrari distributiones in casu?*

S. C. C. resp. ad I. et II.: Affirmative;

ad III.: Negative salvo jure agendi contra Coadjutorem pro relevatione.

Die 16. Maii et 6. Junii 1739.

Cum resolutioni III. dubii non acquiescat Joannes Joseph Canonicus

coadjutus, rogantur Emi PP. novam illius disputationem aggredi.

Non ea impraesentiarum est quaestio de Canonico coadjuto, qui antea per se ipsum haud consueverit choro ecclesiaeque inservire. Si enim res eo loci esset, nequiret utique Canonicus Joannes Joseph tempore suae aegrotationis quotidianas distributiones lucrari, cum vulgatum in jure aequae ac receptum in praxi habeatur, Canonicis infirmis sive Coadjutorem habentibus sive illo destitutis quotidianas distributiones minime deberi, quoties ipsi, dum bona valetudine fruerentur, divinis Officiis interesse neglexerint, ad tradita per Geminian. in cap. unic. §. „qui vero“ „de Cleric. non resid.“ in VI. num. 4., *Barbosa* ad Concil. sess. 24. cap. 12. n. 96., et ita resolutum fuit a S. C. in *Mantuana* 6. Febr. 1627 lib. 13. decr. pag. 197., et in *Asculana* 5. Jun. 1706, in qua proposito dubio: „An distributiones quotidianae debeantur Canonico infirmo, si alias sanus non esset solitus residere?“ responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 149.

Pariter disceptatum hodie non est: an aegrotanti Canonico coadjuto quotidianae debeantur distributiones, si forte eodem tempore Coadjutor quoque morbo teneatur aut simili ex causa compellatur a residentia abesse, tunc enim quotidianis distributionibus privandum non esse Canonicum coadjutum communitur tradunt DD. et praesertim *Garzia* de benef. part. 4. cap. 5. n. 80 et 81., et *Barbosa* de Canonic. et Dignit. cap. 29. n. 45., cum aliis, atque in his terminis loquuntur resolutiones S. C. editae in *Vicen.*, ubi sub diem 10. Maii 1625 responsum fuit: „Coadjutum infirmum, quamdiu Coadjutor ex suprascripta causa abfuerit, percipere debere fructus sui canonicatus et praebendae una cum distributionibus quotidianis

tam diurnis quam nocturnis, perinde ac si divinis Officiis per se vel Coadjutorem interesset“, ut in lib. 12. decr. pag. 294. et seq., et in *Urbevetana* per *Barbos.* l. c. allegata sub hisce verbis: „Distributiones quotidianae debentur Canonico coadjuto, infirmo absente vel non serviente Coadjutore.“

At hodiernae disputationis illud est thema, num Canonicus Coadjutorem habens et pridem assuetus per se ipsum chori Ecclesiaeque servitio incumbere, si aliquando infirmetur, debeat quotidianas distributiones lucrari, tametsi ejus Coadjutor non ex justa causa sed propria culpa coactus sit e loco residentiae abesse nequeatque proinde in sua Ecclesia divinis vacare Officiis?

Sane quaestionem hanc affirmative decidunt nonnulli Canonistae et signanter *Navarr.* de Cleric. aegrotan. cons. 2. n. 6., *Gonzal.* ad regul. 8. cancell. tom. 9 a. n. 116., *Garz.* de benefic. part. 2. cap. 3. n. 81 et seq., et *Castropal.* oper. moral. tom. 2. disput. 1. punct. 10. n. 9., ea innixi ratione, quod sicuti Canonicus Coadjutore carens quotidianas distributiones acquirit, si morbo aut alio justo impedimento detineatur, quominus possit divinis Officiis intervenire, juxta expressum textum in cap. unic. de Cler. non resid. in VI., ita Canonicus Coadjutore provisos, ne sit deterioris conditionis Canonico illum non habente, neve privilegium Coadjutoriae in ipsius odium ac detrimentum retorqueatur contra vulgatam regulam, de qua in cap.: „ad apostolicam“ „de regular.“, et in cap.: „quod ob gratiam“ de reg. jur. in VI., quotidianas debeat distributiones lucrari, uti prae caeteris ratiocinatur *Gonzal.* ad reg. 8. cancell. tit. 8. 9. n. 116. et seqq.

Verumtamen cum Coadjutoriae in beneficiis ecclesiasticis cum futura successione juxta sacr. Trident. Concil. sess. 25. cap. 7. de ref. permittendae non sunt, nisi quando urgens necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas id postulet, proindeque Coadjutor in eum praesertim finem concedatur, ut vices Canonici ob ingravescentem aetatem justamve aliam ob causam choro Ecclesiaeque servitium praestare impediti sustineat, propterea ne finis hic frustraretur, si Coadjutore ex propria culpa in eo statu constituto, ut ipse nequeat assumpto oneri satisfacere, nihilominus deberet Coadjutus aegrotans distributiones quotidianas percipere, nullo licet Ecclesiae servitio praestito, perinde ac si Coadjutorem non haberet, contrarium statuisse videtur tam S. R. C. in quadam *Patacina* relata per *Garziam* in haec verba: „Distributiones quotidianae non debentur Canonico infirmo vel alias legitime impedito, quando habet Coadjutorem, sed si Coadjutor non resideat, punctatur tamen in ipsius Coadjutoris damna“, quam sacrum hoc tribunal in causa, cui titulus „dubia punctaturarum“ 31. Jul. 1694 lib. 44. decr. pag. 359., necnon in *Asculana*, ubi, cum quaereretur sub dubio VIII.: *An debeantur distributiones quotidianae Canonicis infirmis, si Coadjutores sani non interveniunt?* sub die 5. Junii 1706 responsum fuit: Negative, ut in lib. 56. decr. pag. 170.

Quamvis autem *Garz.* loco supracitato ad resolutionem S. R. C. respondeat, „eam procedere (sunt illius verba), cum Coadjutus legitime impeditus ratione infirmitatis vel alias vult Coadjutorem suum nihilominus residere et pro eo deservire, quo casu, Coadjutore nolente residere, Coadjutus punctabitur ad damnum tamen ipsius Coadjutoris, qui est in culpa non residendo, et sic de suo solvere Co-